

quo misericordiam & liberalitatem tuam ostenderes? &c.

CONSIDERATIO XI.

De Fidelitate DEL.

Infinite Dei Fidelitas. 1. Quia infinita Dei sinceritas, dum promittit. 2. Infinita potentia ad dandum, quidquid promittit. 3. Infinita bonitas, ut det abundanter, quod promittit.

P. 1. *Quia infinita Dei sinceritas, dum promittit.* Amplissimus Deus in promissis. Quanta non promittit tui in veteri, tum novo testamento custodientibus mandata sua & diligentibus se; se ipsum nempe cum omnibus & infinitis bonis suis, ipsis liberalissime addicendo: *sum merces tua magna nimis?* Gen. 15 Videri posset tam ampla promissio æterni pro momentaneo, cælestis pro terreno, increati pro creato, non tam sincera promissio, quam hyperbole, & exaggeratio quædam, oratoricæ non abfimilis; eo quod momentum cum æternitate, terra cum cælo, nihilum cum Deo in comparisonem non veniant. At his non obstantibus non minus fidelis est Deus in dando, quam liberalis in promittendo.

do; uti exigens ad ultimum usque quadran-
tem, quod præcepit, ita donans ad ultimum pa-
riter quadrantem, quod promisit; præter mul-
tiplicia scilicet gratiæ dona in vita, insuper
perseverantibus in bono, semetipsum, &
una secum vitam immortalem ac sempiter-
nam. Non fallit Divina promissio; nec fallit
aut fallere potest sinceritas ac veracitas pro-
mittentis. *Verbum Dei nostri manet in æternum.*
Isa. 40. & ut ait Christus Dominus, *Celum*
& terra transibunt verba autem mea non præ-
teribunt. Math. 24. Quod in celo semel fix-
um, Divinaque manu exaratum, ac sigillo
munitum est, nullus casus evertet, nullum-
que tempus quantumcunque edax eradet un-
quam; cum ex una parte in Deo nulla sit in-
constantia ob immutabilitatem Divinæ volun-
tatis; nulla oblivio ob memoriæ ac intellectus
Divini infinitam capacitatem; nulla pœniten-
tia ob infallibilem eventuum omnium possi-
bilibium præscientiam; ex altera nullius artis,
doli ac fallaciæ capax sit Deus, ob sincerissi-
mum cordis affectum, infinitamque sanctita-
tem; in quam nihil cadere potest, quod can-
dori & æquitati vel minimum, aut in speciem
repugnet. Certe si Principes sibi dedecori du-
cant, fidem semel datam fallere, nec in ho-
mi-

minem cordatum, justique amantem cadat macula infidelitatis; quanto minus in Deum, honoris sui studiosissimum, simulque sanctissimum; ita, ut ne umbra cujusdam imperfectionis in eum cadere possit? Atque ideo Deut. 32. legimus: *Deus fidelis, & absque ulla iniquitate*: quod scilicet infidelitas speciem quandam injustitiæ, & iniquitatis aliquid habeat, cujus natura Divina, se ipsa perfectissima, tam parum capax est, quam lux ipsa tenebrarum, aut sanctitas peccati. Ut merito David; Ps. II. *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septuplum*: id est pura ab omni specie cujusdam vitii, instar argenti nitidissimi, ab omni scoria mundati, & per ignem sæpius purgati. Et amabo, si temporum omnium seriem percurramus, quandoam aut cui unquam promisit Deus, quin serius aut citius secundum ordinem Divinæ suæ providentiæ, liberalissime promissa sua exsolverit? Promiserat Abrahamo in filio suo benedictionem, & cum numerosa posteritate terram Canaan in hæreditatem; num vel in minimo fidem fefellit? Nonne Abrahamo pridem defuncto, posteros ejus prodigioso plane eventu, deduxit in terram promissam? Promiserat pa-

ntes

riter & ipsi, & Davidi ex stirpe sua Messiam
 Salvatorem mundi: nonne Divinum hoc pro-
 missum in Christo Domino abunde adimple-
 tum est? O quam verum illud Apostoli 2 ad
 Tim. 2. *Fidelis permanet, negare se ipsum non
 potest*, suam scilicet fidem, suam integritatem,
 suam sinceritatem ac veracitatem. Verum O
 Deus meus, quæ mea erga te fidelitas? Quo-
 ties non obligavi tibi fidem meam, promitten-
 do morum vitæque emendationem: Et quan-
 do satisfacere aut tuæ expectationi, aut debitæ
 a me fidelitati? Quid minus unquam feci,
 quam quod tam sancte, tam frequenter, tam
 solemnitè tibi pollicitus fueram? Nonne in-
 star pinnulæ versatilis, ab inclinationibus
 depravatæ naturæ meæ vix concepto propo-
 sito, circumagime passus sum, illuc me ver-
 sans, quo trahebant concupiscentia carnis,
 concupiscentia oculorum, & superbia vitæ?
 Nonne immemor omnium promissorum,
 quæ detestatus fueram, rursus amplexus sum?
 Tu fidelis semper in dilectione, non ante me
 deseruisti, quam a te sponte me separarem;
 & ego instar infidelis spontæ, te sponsam
 animæ meæ identidem deserens, adhæsi me-
 retricibus terræ O quando confirmabis gres-
 sus meos in semitis tuis, ut non moveantur
 vesti-

vestigia mea Pl. 16. Quando tandem immo-
tus adhæc ebo tibi summo bono, non decli-
nans ad dextram aut sinistram? &c.

P. 2. *Infinita potentia ad dandum quidquid
promittit*; Uti promissione humana nihil in-
certius, ita Divina nihil certius ac solidius.
Non solum inconstans hominis voluntas, ut
proposita in horas & momenta mutet; sed &
contingit frequenter, ut id, quod aut temere,
aut bona fide promisit, superet ipsius vires,
nec etiam si vellet, præstare possit. Quam mul-
ti hoc solo titulo spe sua delusi, quod confi-
derint in homine, & *posuerint carnem bra-
chium suum?* Jerem. 17. At nihil minus timen-
dum in Deo, cujus uti infinita potentia, ita
dare semper potest, quidquid promittit.
Quantumcunque ampla fuerit ejus liberalitas
in promittendo, non est, cur timeat æratio
ac thesauris suis; æque parum scilicet, ac in
exhaustæ potentæ suæ, quæ mensura est om-
nium divitiarum suarum. Neutrum deficere
potest, nec thesaurus unde donet, nec do-
nandi potestas: quod vult, potest, nec minus
potest, quam vult. Infinita velle usque adeo
potest voluntas creata: quid ni Divina? adeo-
que & potest infinita: uti enim potentia non
excedit thesauros Dei, nec thesauri poten-
tiam;

tiam; ita nec potentia voluntatem, aut voluntas potentiam? cum omne, quod vult, possit: quia *non est impossibile apud Deum omne verbum*. Luc. 1. Promisit aliquando Herodes Herodiadi filia suae, quidquid esset petitura, etiamsi dimidium regni sui; sed vae homini? Si & alteram regni medietatem aut illi, aut alteri addixisset; quid enim illi superfuisset, nisi extrema paupertas? At Deus non dimidium regni sui, sed integrum regnum addixit, & te ipsa donat creaturis prope infinitis, aequae tamen potens ac dives, ac si nihil promississet, nihil donasset. Tanta ergo tamque immensa cum sit Dei potentia, ut voluntati adaequetur, ac proinde idem in Deo sit velle atque posse; nonne ausim cum Apostolo confidenter dicere: *Scio, cui credidi*. 1. Tim. 1. Omnipotenti enim debitori quae ratione diffidam? Certe nunquam etiam spes mea adaequabunt ejus potentiam, cum plus semper possit praestare, quam ego vel audeam sperare. Non sufficiet ergo mihi verbum omnipotentis, simul ac veracis? An ab eo promissionis tabulas, an testes, an sponsores (ut inter homines fit) requiram? Nonne verbum Divinum sibi ipsi testis, omni exceptione major? Nonne Deus tantae, tamque in-

infiniæ potentæ, abundantissime sufficit ad
 promissa quæcunque ad apicem implenda?
 Quid proinde mihi non expectandum; ma-
 xime, cum fide sua Divina interposita, om-
 nipotentæ suæ intime conjuncta, suum in
 omnibus auxilium mihi addixerit, dummo-
 do ex parte mea fidelis ipsi permaneam, in-
 que ejus servitio incorrupta fide persistam?
 Ah si pauper sim, nonne tu Deus meus di-
 ves es in omnibus, & securum me reddis the-
 saurorum ac gratiarum tuarum, quarum fons
 perennis in te nunquam deficere, nunquam
 exsicari potest? Parumne pauperi sit, si a
 fidelissimo amico suo traditæ sibi fuerint cla-
 ves ad thesauros immensos? Si debilis & in-
 firmus sum, Nunquid non est Deus in Israel,
 ut eam ad consulendum Beelzebub Deum in
 Accaron, ut confugiam scilicet ad opem hu-
 manam, in ea potius confidens, & quæram
 solatia a rebus creatis, in quibus non est sa-
 lus? Si cæcus sum, num in te lumen non in-
 venio, qui illuminas omnem hominem ve-
 nientem in hunc mundum? Et quid demum
 sive intra, sive extra te, quærere possum De-
 us meus! quod in te ipso & in omnipotente
 tua virtute, omnium bonorum centro, di-
 tissimoque ærario, reconditum non habeam?

ex quo mihi offers infinitas divitias bonitatis tuæ, promittens te daturum, quantum voluerō, dummodo cum spe ac fiducia ad te accessero? Væ sollicitudinis meæ! qui tam parce peto, quod tu tam liberaliter & copiose offers; parcior in petendo, quam tu in offerendo; difficilior in acceptando, quam tu in dando: non secus ac si vilescerent mihi dona tua, nec digna essent votis meis; aut mihi met ipsi sat dives forem, ut bonis tuis minime indigerem? Væ pariter vanæ fiduciæ meæ, quam in auxiliis humanis potissimum repositam habeo! &c.

P. 3. *Infinita bonitas ad dandum abundanter, quod promittit.* Quod si nunc ad sinceritatem, & absolutam potentiam promittentis Dei, accesserit pronissima ad dandum voluntas, summaque beneficentia ac benignitas, an locus aliquis suspitioni, aut vel levissimo timori supererit, ne non accipias, quod tibi Deus promissit? Num similem eum finges infami Labano, qui sui commodi studio (ne opera Patriarchæ Jacobi sibi perutili, privaretur) pro Rachele, quam ei iam sponsam addixerat, Lippientem Liam substituit? Aut eum comparabis maximæ parti hominum promissa non implentium, ut rebus suis par-

cant;

cant ; aut parum aliquid erogant, ut duplum vel triplum recipiant ? Quid enim ex omnibus, quæ in alios expendit, decederet Deo ; quodve lucrum illi accresceret, non largiendo, quæ largitur ? quod pariter commodum expectare posset ex obsequiis nostris, cum ad unum omnes ipso indigeamus, ipse vero nemine nostrum ; utpote in se ipso, suaque essentia possidens thesauros non deficientes, & infinitos bonorum omnium ? Tantum certe abest, ut nostris nos privet ad se ditandum, ut verius sua unice impendat ad nos locupletandum : cum enim natura sua bonus sit, ipsaque bonitas, omni simul abundantia dives, omnibusque divitiis abundans, ex naturali inclinatione continere se quodammodo non potuit, quin & immensæ suæ bonitatis, & ineffabilem bonorum suorum nos faceret participes ; haud aliter quam sol, utpote fons luminis, nullo adventitio lumine aut indigēt, aut ditatur, sed veluti gaudet, quod lucem suam liberalissime cum toto orbe communicare possit. Et quid aliud a benignissima Dei natura expectare licet ; cum hoc sit proprium benignitatis ingenium & indoles, ut opes suas erogat, idque eo copiosius, quo major est indigentia & necessitas ;

& ut veluti benefaciendo nutriatur, ita, ut scopus illius unicus sit ac triumphus, iis subvenire, qui ejusdem beneficio indigent? At non sistit hic Divina bonitas: liberalitatem sibi semper veluti sociam adjungit, cui proprium excedere potius in benefaciendo, quam tramiti communi bonitatis insistere. Non arctari illa se patitur Divinis promissis; sed ut magnorum Principum est, præmia non admetiri obsequiis, sed dignitati suæ, ita nec Divina bonitas fidei datæ promissa bona commensurat, sed potius suæ dignitati ac liberalitati, vincens in dando expectationem nostram: ita ut semper superabundet gratia ejus in nobis. & dicere cum Letho cogamur Gen. 19. *Magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum.* Quemadmodum enim misericordia in Deo superexaltat judicium, & in operationibus ac effectibus suis justitiam quodammodo excedit: ita innata Deo benignitas ac liberalitas summa, fidelitatem veluti excedit, cum non tantum det mensuram bonam & justam, promissis ex æquo respondentem, sed & ut loquitur scriptura, *confertam, & coagitatam, & supereffluentem.* Luc. 6. Id est ultra mensuram, quam homo sibi polliceri, aut Deus vi promissi dare teneba-

batur. Et nonne hunc excessum bonitatis tuæ Deus experimur frequentissime? Quid amplius generi humano per peccatum perditæ, promiseras, quam redemptorem & reparatorem salutis nostræ? At quam copiosa & superabundans fuit illa redemptio, quantum in ea intervenit liberalitas Divini tui amoris: ut scilicet ubi abundavit delictum, tua similiter abundaret & gratia? O quam verum illud Regii Psalms Ps. 100. Quod coronas nos in misericordia & miserationibus & repleas in bonis desiderium nostrum? Nihil nobis debebas, & tamen fieri voluisti debitor noster; Nihila nobis accipere aut expectare potuisti; & tamen te obligare voluisti ad nobis donandum; pro majori nostra securitate, & ad augendam fiduciam nostram, etiam fidem tuam Divinam interponens. Sed nec hoc contentus, quasi id, quod pure liberaliter promissisti, nimis parum foret abundantia bonitatis tuæ, auges dona tua, etiam dum non auges promissiones tuas, ut nimia bonitate tua vincendo spes nostras, simul vinceret ingratitude nostram, & cor nostrum ad recipiendum amorem alliceres. Verum quid a corde meo in malo semper obdurato, obtinere hætenus

potuit benevolentissima voluntas tua, amorque liberalissimus? Num flectitur ac emolitur tanta bonitate? Nonne potius quo hæc erga me major, eo amplius mea augetur ingratitudo, vincens in malo bonum. Ah cor novum crea in me Deus, & spiritum tandem rectum innova in visceribus meis? Ps. 50.

CONSIDERATIO XII.

De Divitiis DEL.

1. Nec augeri possunt, quia maximæ:
2. nec minui, quia inexhaustæ: 3.
- Nec satis æstimari, quia nobis utilissimæ.

P. I. *Augeri non possunt, quia maximæ.* Imaginare tibi omnes thesauros ac divitias, quas Reges ac Principes, nationesque innumeræ per orbem dispersæ, ab exordio mundi possiderunt, ac deinceps ad finem usque possedebunt: Conjice hunc in cumulum, quidquid auti argentique in visceribus terræ, quidquid margaritarum in profundo maris, quidquid insuper lapidum pretiosorum in montibus delitescit; Nonne fateri debet thesauros hos omnes in unum collectos,

ini-